

trus distinguitur à seipso e. g. in ratione subjecti & prædicati, quando dico: Petrus est Petrus: idem enim conceptus repetitur. Distinctio verò rationis ratiocinatæ (quæ absolutè etiã distinctio rationis vocari solet) fit per conceptus formales inadæquatos ejusdem objecti & habet fundamentum in re ipsa: fundamentum autem illud plerumque sunt diversa connotata. Sic in DEO omnipotentia & omniscientia non differunt nemine cogitante sed per mentis nostræ operationem: intellectus enim noster essentiã divinam inadæquatè concipit modò ut omnipotentiam modò ut omniscientiam & quidem in ordine ad diversa connotata. Vid. *Suarez Diss. Met. VII. Sect. I. Petr. Hurtad. de Mendoza Diss. Met. VI. & B. Stablius Instit. Metaph. part. gener. cap. XXXIII.*

§. III. Quæstio igitur proposita huc redit: utrum relatio prædicamentalis differat à fundamento realiter an verò ratione? Hic auctores in diversas abeunt sententias. Primò quidam docent, quòd relatio sit res distincta realiter à fundamento suo. Quæ sententia tribuitur *Capreolo in I. sent. dist. XXX. quest. I. Cajetano in I. part. Thom. quest. XXVIII. art. II. Ferrariens. IV. contra Gentes cap. XIV.* quos sequuntur *Petr. Tataretus Explan. seu comm. in lib. Categ. Arist. de relatis art. II. Job. Sanchez. comm. in univ. Arist. Log. Tom. II. quest. LII. Didac. Masius comm. in Categ. Arist. de relatis sect. II. quest. II. concl. II.* Et eidem sententiæ ex parte subscribere *Scotum II. sent. dist. I. quest. III. item III. dist. VIII. quest. I.* ac *Durandum I. dist. XXX. quest. II.* testatur *Suarez Diss. Met. XLVII. Sect. II.* Alii modalem distinctionem inter fundamentum & relationem faciunt. Ita sentit *Antonius Ruvio*, qui quidem *in lib. Categ. Cap. VII. quest. XIV.* calculum suum sententiæ eorum, qui relationem realiter à fundamento differre statuunt, adjicit: attamen statim clariùs mentem suam explicat, *boc solum*, inquit, *addendum est; quòd talis distinctio non est ita realis, qualis reperitur inter duas res, sed qualis reperitur inter rem & modum ejus.* *Petrus Fonseca in lib. V. Metaph. cap. XV. quest. II. Sect. V.* neque realem neque modalem admittit distinctionem, sed existimat fundamentum à relatione differre formaliter nobis, inquit, *magis placet relationes reales ad hoc prædicamentum pertinentes universè distingui à fundamento formali distincti-*
one,